

*NvK an alle Klosterfrauen in der Diözese Brixen. Er erlässt strenge Anordnungen über die Einführung der Klausur, die am kommenden Fronleichnamsfest (8. Juni) in Kraft treten sollen. Denjenigen, die sich den Bestimmungen nicht fügen, werden harte Strafen angedroht.*

*Kopie (gleichzeitig): INNSBRUCK, TLA, Stift Sonnenburg, U 91 und 92 (jeweils als Insert in Nr. 2633). U 92 ist durch Feuchtigkeit und Mäusefraß stark beschädigt.*

*Deutsche Übersetzung (15. Jb.): INNSBRUCK, TLA, Cod. 2336 p. 73-76.*

*Regest: Jäger, Regesten II 152 (falsches Datum: 24. Mai).*

*Erw.: Sinnacher, Beiträge VI 368; Düx, Nicolaus von Cusa II 114; Jäger, Streit I 60ff.; Pastor, Geschichte I 471; Hallauer, Visitation des NvK 107f.; Hallauer, Klarissenkloster 77; Baum, Nikolaus Cusanus in Tirol 171; Mandrella, Nicolaus Cusanus und Verena von Stuben 38.*

Quoniam ad nostrum spectat officium, ut quemadmodum per nobis decretam provinciam evagationes deodicatarum personarum et ad eas hominum accessum sub duris penis prohibuimus, non minus in hac nostra diocesi, ubi et apostolici legati et dyocesani fungimur officio, solliciti simus et eternam maledictionem effugere voluerimus, hinc ad laudem dei et animarum salutem et pro debito officii presencium tenore 5 precepimus et mandamus, quod nullus hominum sub pena excommunicationis late sentencie, quam ferimus in hiis scriptis, nisi a vicario nostro in spiritualibus in scriptis super hoc licentiam habuerit ex quacumque eciam causa aliquid huiusmodi monasterium monialium a festo corporis Christi proxime futuro (8. Juni) inantea intrare presumat; quin ymmo volumus, quod quicumque contrarium attemptaverit eo ipso absque 10 ulteriori declaracione ab omnibus pro excommunicato in divinis et extra vitetur et ubicumque fuit, quamdiu moram traxerit ibidem, a declaracione divinorum cessetur. Mandamus sub simili pena excommunicationis et privacionis beneficiorum omnibus cappellanis, qui divina in monasteriis celebrant et aliis omnibus sacerdotibus, quod quam cito noticiam certam habuerint aliquem contra nostram prohibicionem aliquod 15 talium monasteriorum intrasse, quod tunc in continenti illum talem vitandum et in eo loco, ubi fuerit, a divinis cessandum publicent. Sub simili eciam excommunicationis late sentencie et interdicti pena precipimus omnibus et singulis monialibus cuiuscumque dignitatis, eciam si abbatisse fuerint, quatenus ab illa die corporis Christi inantea nequaquam eciam data licencia ab alia persona quam nostro vicario, nobis et nobis 20 superiore ultra concessionem capituli Periculosa de statu regulari in Sexto<sup>1)</sup> exire monasterium suum audeant seu aliqua earum audeat. Quin ymmo contrarium facientem excommunicatam et ubi fuerit absque ulteriori declaracione a divinis cessandum decernimus. Mandamus sub simili pena late sentencie cappellanis et presbyteris omnibus de hoc certam noticiam habentibus, ut monialem illam excommunicatam et ubi 25 fuerit cessandam esse publicent. Volumus eciam et sub eadem pena late sentencie precipimus omnibus et singulis monialibus huiusmodi que pro presenti tempore sunt a suo monasterio absentes, ut ad sua monasteria infra hinc et festum illud corporis Christi prefatum (8. Juni) sua monasteria reintrent, inibi in clausura deo pia vota redditure. Omnibus et singulis plebanis et quibuscumque sacerdotibus sub dicta excommu- 30 nicacionis late sentencie pena precipientes, quod in omni parochia, ubi post dictum festum corporis Christi aliqua monialis extra monasterium suum et sine littera licencie

sanctissimi domini nostri pape, nostri ac vicarii nostri reperta fuerit, quamdiu illa ibi erit, a divinis cessetur.

35 Absolucionem vero omnium, qui contra hanc nostram ordinacionem deliquerint, nobis et superiori nostro reservantes, volumus nichilominus et dicta auctoritate decernimus, quod huiusmodi nostre littere in valvis sive portis maioris ecclesie nostre Brixinensis exequantur et affigentur ac ibidem affixe et execute omnes et singulos, quos concernent, sic arceant et astringant, ac si ipsis et eorum cuilibet personaliter  
40 lecte et insinuate fuissent.

---

<sup>1)</sup> VI 3.16.1, ed. Friedberg II 1053f.